50

ystis

Epitaphium

Petrus delitie tue Thalia,
Parnasi columen, decusque Phebi,
Nunc mortuus est, (pudet tacere),
Qui urbanus, facilis, nec indisertus
Erat, mehercule et omnibus benignus;
Inuide o nimium male et sorores,
Que quidem omnia cara devoratis,
Tam carum comitem mihi abstulistis
Fatis pro superi satis malignis,
O factum lacrymabile, atque dignum
supremis simul omnium querelis,
Unde nunc ossa tua sodalis
Horridi lacrymis rudent ocelli;

Ad Matheu Sauronianum

Joannes lepidas mihi tabellas
Tuas optime, nobilisq[ue] amice
Dedit, nectare dulcius loquentes,
Quibus nil gravius, disertiusq[ue] est,
Certe ita bene, quàm Catullus ipse
Calles post sequeris tuu[m] Maronem.
Quare hoc sordidulu[m] tibi poema
Feci, ut perspiceres mihi approbatos
Esse mirifice tuos libellos,
Sed nostros caue despuas ocello,
Nã sunt exiguę meę camenę,

yħs·

Ad Petrū Hyacinthū

Diserte eximiū decus Thaliæ
Hyacinthe, et pater omniū leporū,
Gratias tibi plurimas agemus,
Quot ver purpureos habet colores,
Et quot sydera sunt tacente nocte,
Quæ celso eximie micant olympo,
Quod nos erudias bonis sophiæ
Libellis facili tuo labore,
Digna me hercule rem facis parente;
Dij tibi faciles Hyacinthe magni
Sint, et Nestoream sinant senectā,

Ad Vincentiū

Vincenti omnibus ē meis amicis
Qui me perpetuo colunt amore
Solus carminibus tuis lacessis
Doctis, eximio et lepore cultis
Ut ipsis superes bonos Poetas,
Quare habe unanimi à tuo sodali
Tu quoq; hendecasyllabos amice,
Qui sunt illepidi, atq; inelegantes;

Ad Luuisinu

Du procul trepidas aues viderem
Aptantes lepide casas tigillis,
Vrbanus puer, elegansq multu
Frater versiculos dedit trecentos,
Quibus eximie mihi explicasti,
Quam tibi fuerint mee tabelle
Grate, (ut phibes tuo libello)
Binu nectare dulcius loquentes,
Quod no accipio satis libenter,
Cum sint illepide, atq inelegantes;
Quare ne videar nimis locutus
His nunc carminibus paru disertis,
Vt solu hoc habeas uelim sodalis,
Te ipse ex vnanimis meis amicis,
Semp ex animo bonoq amarj,
Dij sient faciles tibi, tuisq
Atq tuu supi sinant perire;
Hec vultu accipias precor sereno
Metra, que comiti tibi remitto;

1445

Ad Vincentiũ

Quas agã tibi gratias decenter
Vincenti optime, et erudite amice,
Cũ tu versiculos salem, et leporem
Habentes, equidem satis superq;
Disertos dederis tuo sodali,
Quibus tu lepide mihi explicasti
Ver cinctũ viridi novũ corona,
Atq; ut purpureas rosas ministrat,
Quę pingunt vario solũ colore,
Nec nõ ut Zephirus refert tepores
Qui existunt nimiũ mihi eleganter,
O dulcis comitũ vale optimorũ,
Fac ~~mitte~~ me et perpetuo colas amore:

Exasticon

Ille qui est meritis suũ refectus,
Debet mehercule vel magis magisq;
Contra si officiũ haud recepit ullũ,
Devinctus leviter suo est sodali,
Ergo cũ dederis nihil petenti,
Nec domi quoq; particeps amici,
Nil est quod tibi debeam referre;

yħs

Ad Quinisimem

Amice Aonidu decus sororu,
Atq pars anime secunda mee,
Gratias tibi maximas sodalis
Ago, quod dederis tuu poema
Tersu, iuppiter, et laboriosu,
Atq ta eximio lepore cultu,
Vt nil doctius, elegantiusq,
Quare perge pcor comes beate,
Parce nec studio tuo probato,
Vt solatiolu tue parenti
Presbiter, et patrie decus perenne,
Metra hec ni sapiunt salem, et leporem,
que mi Calliope tulit benigna
Ignoscas lepide ~~te amice~~ pcor te amice,
Aufert na numeros suos Apollo,
Nec me pierides amant puelle;

Ad Excel. iureconsultũ Thomã Tram.

Te incolumem ad patrios lector venisse penates,
atq; parata lite habuisse decus.
Noscere quo valeas nostri vestigia amoris,
in te omne et studiũ crescere nempe meũ.
Nã tua me iunxit virtus tibi maxime Doctor,
Qua accedis summis me hercule celitibus,
Omnes te recolunt venerati numinis instar,
cũ tu sis nostre splendidus urbis honos,
Est in te probitas, summa, et prudentia rerũ,
atq; etiã sancta cũ pietate fides,
Nõ tibi facunde desit facundia lingue,
Divina ambrosia dulcior ore fluit,
Optimus orator cause patronus honeste,
Et bene tu miseris prospicis usq; reis,
Dii tibi sint faciles iucundo et perlege vultũ
Carmina que tandem parvula musa dedit.

ỹ tt5

Dũ Zephyri e gelidos afflabant ore tepores,
laxabatq; suos terra benigna sinus,
Alma Venus nemorũ gratis errabat in umbris,
frugiferosq; novo Ver colebat agros,
Illic insani formosus rector amoris
torquebat facili plumbea tela manu,
Et nunc quod senuit hyems Aquilonib' afflat undas
ad celebres Urbes fert Cytherea gradũ,
Implicat occultas iuvenũ que pectore flãmas,
in meaq; ardentes coniicit ossa faces,

Ad Philomela

Daulias o volucrũ divino celeberrima cantu,
pmia que tali munere digna dabo?
Dũ vacuus curis hortorũ miror honorem,
atq; etiã summo culta labore loca,
Tu procul in densis nemorũ garrula in umbris
concinis argutis carmina grata modis,
Vive diu, et Lachesis fatales differat annos
Et sinat extremos leniter ire dies;

Ad Pamphilu Choronu

Quę mihi tu nup misisti Pamphile metra,
visa Maronis versibus ęqua mihi,
Cu legerem Ambrosię dulces spiravere sapores,
nescio qd maius melle habuere sacro,
Edita na quali fuerant tua scripta minerva,
nexaq pitrijs illa fuere modis?
No possu tantas versu describere laudes.
seu sit Nasonis, siue Maronis opus,
Carmine te Doctus noster collaudet Homerus,
qui tibi ppetuu nomen amice dabit,
Virtute, ingenio tu tantu Pamphile polles,
Vt deceat nullu me reperire parem,
Dij tibi sint faciles, ut nostru in pectore condo
Carmen, quod nostri pignus amoris erit,

Miraris steno cur sit mens anxia luctu,
Et nullum inveniat nostra querela modum,
Cum et pro meritis studio complectere omni,
tristitia haud totum dissimulare meam,
Vrget amor, bibulis hesit nam flamma medullis,
Exagitat magnus pectora nostra furor,
Quem nullis possum sanare salubribus herbis,
nec medicas artes postulat acer amor,
Hinc macies demum teneros nunc occupat artus,
improbus et miserum me male torquet amor,
Syderibus magis nitidos cum miror ocellos
Flaminiae, et comptas versicolare genas,
Et dulces risus, fusos per colla capillos,
languida furtivus corripit ossa vapor,
Quique me sollicitum stimulis exercet amaris,
inque dies crescit fervidus ipse dolor.

ytts

Ad Amica

Ne fragili nimium formae confide puella,
Praeterit, instabilesque deficiuntque dies,
Quid prodest molles gemmis ornare capillos?
Purpureas fuco pingere quidve genas?
Omnia mors superat, Maturae et tempora vitae,
nulla est mortali nec mora longa bono,
Unde saepe gemes forma mala damna caducae,
cum premet invalidos tarda senecta pedes,
Tu modo sis facilis, dum mens assuefit amantis,
Et tua vincantur ferrea corda prece:

Aureus oceano properat contingere Titan
currus, et extinctus deficit ipse calor,
Saevit hyems, gelidi concrescunt undique fontes,
Estque gelu rigido pervia lympha pedi
Qua ratis egit iter, spumantem et profudit aequor,
nunc validos tergo sustinet unda boves,
Turba puerorum concretis ludit in undis
nec solidas ullo pondere ledit aquas.

yhs

In resurrectione Christi

Maximus ille Deum, et celsi dominator olympi,
qui potuit nostrum morte piare nefas,
Est superas celi revocatus quippe sub auras,
Rerum at ad patrios iam remeasse choros,
Ipsa pius eterni conscendit culmina celi,
Et sua christicole numina mente colunt,
Quare nunc date thura sacras adolenda per aras,
iucundas placido funditeque ore preces,
Ut genus eripiat stygiis mortale tenebris,
nos superasque sinat arce tenere locum; ~

Ad Amicum

Non sic letus adit portum dulcesque penates
Nauita post seuum multa pericla salis,
Ut tua iucundo legi carmina vultu,
que tulit hesterna frater amice die,
Is decor et lepidis sic fulget copia verbis,
Ut rear eximiis te cecinisse modis,
Vale precor, Tusce et cultus dulcedine lingue,
me socium scriptis sepe remisse tuis, ~

yths

Ad Patrem d Strena

Altera lux oritur solennibus alma calendis,
Quę fuit à priscis tradita rite viris,
Et vaga nunc iuvenum discurrit turba per urbem,
Ante que domos undique dona petit,
Quare fac soliti serves vestigia moris,
Atque affer studiis munera digna meis,
Ista tibi tot referam pro tali munere grates,
ignea quot cęlo sydera nocte micant;

Ad Amicum Paulum

Aonides quantum stupeant te paule sorores,
desine castalidas sumere semper aquas,
Hic fons est vitreis nobis argenteus undis,
undique et umbrosis substrepit arboribus,
Perspicuus liquor est, tenui perlucidus unda
lilia sunt circa, puniceęque rosę,
Aspice quam grato te invitet murmure rivus,
Qui leniter tacitis per vada serpit aquis,
Hoc solet arentem venatu fessa Diana
virginibus gelido fonte levare sitim,
Fac igitur sacro tingas hoc labra liquore,
Namque aderit numeris Calliopea tuis;

Ad Phebum

Quis curare neget seui contagia morbi?
Atq; putet medicas no adhibere manus?
Ecce meus dira Posydorus febre laborat,
Est cui inmatura parca minata necem
Tu modo Phebe ueni, nostro et succurre sodali,
Atq illi optatā, qua potis, affer opem,
Effice ut infelix fatales expleat annos,
crimen erit vatem naq perire tuū
Quem sacro puerū docuisti Heliconis in antro
dicere pierijs carmina digna modis,
Pro meritis lectas cedam tibi sancte bidentes,
Atq dabo templis pinguia thura tuis,

In Inuidum

Inuide quid damnas urbis petulantibus Aldam?
que formosa placet sola puella mihi,
Non illi est Tyrio facies effusa liquore,
sed niueo est fulget in ore color,
Pulchre sunt animi dotes, moresq; venusti,
pectoraq; Alpina candidiora niue,
Sydereis posset Diuos exurere ocellis,
Atq; adamantei pectora dura uiri,
Quare iā uoces queso compesce molestas,
Desine tu Dominę membra notare meę,

Laus Veris

Purpureo iā uere afflat lenis aura Fauoni,
Atq aperit gratos terra benigna sinus,
Pallentes uiolę, et uernantia lilia surgunt,
Silicet et passim mollia prata uirent,
Formosas omnis nunc frondes explicat arbor,
Et trudit fetus, nectareosq pyros,
Ipsa quidem progne plumis signata cruentis
Suspendit nidos, lataq tecta subit,
Flebilis, atq scelus refert Philomela tyranni,
Psittacus argutos suscitat ore modos
Nunc errant, ~~tenerę~~ etiā per rura puellę,
Purpureisq ferunt plena canistra rosis,
Illa metit croceos flores, casiasq recentes,
Hęc nectit facili florida serta manu,
Pastor agit stabulis pecus, atq in pascua mittit,
Acres nec metuit sedulus ipse lupos,
Concipiunt omnes auido nunc pectore flamas
Et venus ardentes conicit alma faces,
Sed procul a nobis sit saeuis illa sagittis,
Ingeniū grauiter perfidus urit amor; —

yits

Ia mea frugiferos tandem migrauit in agros
Sylvia, et optatus rura reuisit amor,
Et domini aduentu posito squalore uirescit,
tellus, purpureas explicat atq[ue] comas,
Rusticus et nostri cultor letatur agelli,
saturniq[ue] putat regna redisse ~~dei~~ Dei,
Sed no[n] prisca redit libertas illa parentu[m],
Aetas prima olim na[m] sine lege fuit,
Tu[n]c posita est teneris custodia nulla puellis,
limina nec clausit iniqua sera,
Valle sub umbrosa licuit concumbere amantes,
figere et humidulis basia mille labris,
Mos peior ille redi, p[ro]deunt rura, p[ro] urbes
in tenero domini fixus ero latere,
Condat opes alius magnas sibi diuitijs auri,
Et petat excidijs martia turba lares,
At liceat tecu[m] potius mihi paupere cultu
uiuere securo dulcis amica toro,
Hicq[ue] diu optato p[er]fruimur tempore uite,
deprecor una duos soluat ut atra dies;

Elegia

Pygmalion celeri percurrens ęquora puppi,
Africa quę immensis fluctibus arva rigant,
Hunc Aquilo lentos curvantem gurgite remos
vidit, et in mediis flamine mersit aquis,
Excidit infelix primę lanuginis annis,
Dum sibi divitias congerit ipse mari,
Candida sacratis sedibus nō ossa quiescunt,
nec sunt marmorea membra sepulta domo,
Ast hunc fluctus habet, versantq; per ęquora venti,
iucunda et trepidis piscibus esca iacet,
Ah pereat sęvū qui primus proscidit ęquor,
et tulit instabiles per vada salsa rates,
Intereunt homines, liquidis merguntur in undis,
Atq; immaturę mortis aperta via est,
Quā bene felici vivebant tempore regis,
Quo nullus pecudes qui numerasset erat,
Non tristis, nō vallus erat, nō oppida fossę
cingebant, raucę nec crepuere tubę,
Non validus curvū pondus grave duxit aratri
taurus, nec sterilem vomere pressit humū,
Ipse inaratus ager molli canebat arista,
Aerię quercus flavaq; mella dabant,
O utinā veteri Saturni regna redirent,
naufraga nā nullas solveret unda rates,
At tu sęve Aquilo inflabis mea lintea nunq;
servitio dominę me iuvat esse meę, —

~~Elegia~~

Rura colit nemo, ~~[illegible]~~ cultus migrauit ad Vrbes
Cypria, quæ audaces gessit adire uiros,
Ver etenim placidum nostris tramit annis
et Zephyrus parcit flatibus ipse suis,
Non rident syluæ, non pleris rusticus agris
luxuriat, cereri munera nulla refert,
Nullaque Hydaspeis certant nunc gramina gemmis,
non seges in campis, non viret uua iugis,
Non queritur densa nemoris philomela sub vmbra,
nec nati absumpti perfida fata gemit,
Non ille est auium dulcis concentus in agris,
nec resonat syluis garrula turba sacris,
Rura gelu sed claudit Hyems, et perterit sylas,
Quæ ceteris præbet ~~munera flaua Ceres~~
Deponit frondes antiquo robore quercus,
Atque male herentes populus alta comas,
Seuit Hyems campis, afflant et frigora venti,
tectaque Scytonia sub niue terra latet,
Et seui boreæ penetrabile frigus et Euri
currentes glacie lubrica adurit aquas,
Quam iuuat hybernas lecto requiescere noctes
Et dominæ tepido membra leuare sinu,
Quare agite o iuuenes iucundos discite amores
~~Duraque~~ vel molli flectere corda prece,
Ille equidem nimium felix, nimiumque beatus
Est, cui perpetuus leniter afflat amor. —

Somniu

Lumina cu[m] pullo somnus uelasset amictu,
Et p[re]meret dulcis languida membra quies,
Visus era[m] latices Parnasi attingere sacros,
Bellorophonteus quos pede rupit equs,
Et sitiens vitreis admoram fontibus ora,
labra prius doctus proluit Unde Maro,
Qui letas cecinit segetes, quo sydere vertat
Agricola incurvo pingue bidente solum,
Arboribus lentam docuit coniungere vitem,
Et teneras curua stringere falce comas,
Lanigero cultu[m] pecori monstrauit habendo,
Et quanta Hybleas cura fatiget apes;
Sed me castalios vetuit libare liquores
Bartolus, et placido talia ab ore dedit,
Quid facis ô demens ignotis Pamphile in Vndis!
Quis tibi Parnasi p[er] iuga stat iter,
Desine Pegaseas ia[m] tandem tollere lymphas,
blandaq[ue] pierijs fingere metra modis,
Hoc tibi no[n] querere studio memorabile nomen
Na[m] mediocre dabit calliopea decus,
Si cupis eterne p[re]mia querere laudis,
At sequere, ad nostros atq[ue] recurre lacus,
Hec ubi facundo est Doctor sermone profatus
destituit gratus corpora nostra sopor;

ytis

Ad Thaliã

Est mihi cordi duce te Thalia
Ire p rupes Heliconis altas,
Pegasus sacros latices citauit
Qua pedis ~~ille~~ ictu,
Nanq inter dulces Heliconis umbras
Ociũ plectro meditabor alto,
Et tuas nostro referã supremas
carmine laudes,

* Quare fac nostre faueas camene
Barbitũ struere, tribuasq cantus
Thracius quales cecinit benigno
Orpheus ore
Qui caua fuluos cythara Leones
Mulsit, Et Tigres, celeresq Pardos,
Fluminũ et cursus tenuit minaces
Carmine blando, —

yhs

Ad gloriosã virginem M.

Virgo nõ ullo temerata tactu,
Mater et summi veneranda Christi,
Qui pius nostras animas profundo
Liberat orco

Te vocant gentes, prece rite adorant,
Virginum sancte varias corollas
Dedicant templis, tibi dant sabea
Undiq; thura,

Supplices audi populos precamur
Diva, da humano generi salutem,
Et senectuti placidã quietem,
Differ et cinerem, —

yhs

Ad Diuu Joannem B.

Me decet laudes celebrare Diuum
Aureo plectro, gracili[que] cantu,
Na[m] mihi dulces Helicone Muse
Carmina fundunt,

Et fauet Phębus numeris decoris,
Temperat numeros Cythere canoros,
Et mihi cantus lepidos benignus
Spirat olympo,

Diue, qui celo resides Joannes
Proximos Christi retinens honores,
Qui uiges illi similis, secundus
Sede suprema,

Lętus intersis populo precamur
Semper, et demas vitiis misellos,
Sospites serues placidos parentes
Atq[ue] penates, —

Ad Paulũ

Paule dum Æstiuos Zephyrus Tepores
Mulcet, et solis moderatur ignes
Huc precor tandem propera, et citator
Corripe gressus,

Ipse nam vernos per aprica rura
Colliges flores, croceos hyacinthos,
Atque pallentes violas, et alba
Lilia mecum,

His tuos cinget placidus capillos
Phœbus, et doctum meditare carmen
Fila pulsare, et cytharæ canora
Arte docebit

Qua maris sęvas poteris procellas
Et suis fuluos latebris Leones
Atque discordes Erebi tumultus
Flectere vates, —

Yhs

Ad peritissimum iurecons. Antonium Merula

Hactenus Antoni licuit vigilasse libellis
Socraticamque satis evoluisse domum,
Et superas cunctos qui sunt virtute probati
moribus insignes, et probitate simul,
Civibus est cunctis merito tua cognita virtus,
Et celebrant clarum nomen vbique tuum,
Omnes et recolunt, ~~[illegible]~~ magni tribuuntur honores
Tu decus es patriae portus et aura tuae,
Nunc celebras castae socialia vincla maritae
Sanguine, et ingenua et probitate viget,
Efficis hoc tantum vt clari nascantur alumni
nomen vt in longa posteritate ferant. —

Qui me sacrasti puro baptismate munus
Hoc cape, quod nostri pignus amoris erit

Yhs

Sapient.mo iurisconsulto Julio
Sbroianacci P. 2. S.D.

In dubio erat animus, an ad te qui summa doctrina, et
probitate polles, aliquid mihi scribendum esset, nam mentis
cogitatio adeo obtusa, atque inepta esse videtur, ut nullum
scribendi argumentum mihi in mentem veniat, quo om-
nem animi mei sententiam tibi explicare possim, unde si
his literis ea adte mihi scripta non fuerint, que expectationi
tue satisfaciant, varijs animi curis, ingenioque meo rudi
ascribes, non dum enim ad scribendum satis assuetus sum, et undique
tot animi cure me opprimunt, ut difficile animum
ad scribendum applicare possim, siquidem communi omnium
opinione studendum est, ut animus vacuus, liberque sit,
cum dicendi ratio exercenda est, Nam carmina proveni-
unt animo deducta sereno, sed tamen pro eo quanti
te facio, et pro antiqua amicitia, qua à teneris
annis cum patre coniunctus sum, valde te rogo, ut cum omnes
nostras controversias, que multum referebant expedieris
eas quoque que supersunt velis conficere, nam tanta est
adversariorum nostrorum contentio, ut nemo profecto
reperiri possit, qui adversariorum potentiam labefactare
queat, nisi tu, qui omnia consilio regis, integritate tueris,
virtute conficis, nobis adiumento fueris, quare fac ut
patrocinium nostrum libentissime suscipias, quod tua sin-
gulari virtute te facturum speramus, sciasque nostro iudi-
cio tibi plurimum tribui, cum sis vir omnium eloquentis-

simus, atque sapientissimus non in libellis tantum, sed in maximis
causis, et summo domicilio imperii, et gloriae consilio, linguaque
ej princeps, omnes, cum te dicentem admirantur putant te esse
maximum oratorem, itaque beneficiorum, quae in familiam nostram
confers, memoriam nulla umquam delebit oblivio, sed dum vive-
mus tibi immortales agemus gratias, nostrisque rebus, vitaque ipsa
semper tibi devincti erimus, teque non secus ac patrem habebimus,
innumerabiles sunt causae, ut plurimi te facere debeamus
tum quod studiis vehementer oblectaris, tum quia maxima
probitate polles, tum etiam quod ex literis didicisti nihil virtute
esse pulchrius, aut amabilius, in qua quidem vita humana
continetur, o utinam mihi contingeret, ut ad talem virtutis
apicem pervenire possim, ut ingenium tuum amplissimis laudi-
bus illustrarem, nomenque tuum meritis honoribus augerem,
itaque suas hoc quicquid attigi me non fecisse cohortandi tui
causa, et quod abs te ullum officii genus desiderarem, ad defen-
dendas nostrarum causarum difficultates, sed ut patris desiderio
satisfacerem, sed ut haec ommittamus, postquam ad me allatum
fuit, te matrimonio honorifice coniunctum esse tibi vehe-
menter gratulor, nam puellam talem spero te consecutum esse
quae sola pulchritudine prae ceteris supereminet, nobilitate
viget, probitateque excellit, quae cum his omnibus abundaret
merito tali viro digna fuit, qui tibi vir omnium, et disipli-
nae iuris civilis excellentissimus, et ingenio acri, prudentiaque
acutissimus, et oratione maxime limatus, atque subtilis,

plura ad te scriberem si humanitas tua longiorem expec=
taret orationem, extremū illud erit, ut te obsecrem, ut
quibuscumque rebus poteris (poteris autem plurimis) prospicias,
et consulas rationibus nostris, quemadmodū tua fides, et ea
que cū patre intercedit amicitia postulabit, vale,

x45

Antonio Merulę peritissimo iuris consulto
Pamphilus Zuccus s. d.

Etsi statuissem nō me hercule inertia, sed ingenij mei
imbecillitate, nihil literarū mearū hoc tempore ad te
dare, tamen humanitas tua, vel sūma potius sapientia
nō iucunda solū, sed etiā admirabilis, ac pene diuina
fregit hoc meū consiliū, meq; ut aliquid ad te scribe-
rem inuitauit, itaq; cū mihi relatū sit te unum
ex omnibus uiris clarissimis, qui cū prudentia, tum
etiā consilio excellunt una omniū uoce, atq; consen-
su huius ciuitatis senatorem electū fuisse, atq; hunc
honorem tibi ultro delatū, quo te semꝑ dignissimū esse
nemo nō indicauit, tibi (ut debeo) mirifice gratu-
lor, exoptoq; ut hęc dignitas tibi sempiternę laudi
sit, rogoq; ut omnia gubernes, et moderere prudentia
tua, ne te auferant aliorū consilia, sed multo magis
patrię gratulor, quę talem senatorem consecuta sit,
qualem antehac nunq;, qui incredibili quadam, et
propè singulari, et diuina eloquentia polles, ut in
nostra ciuitate, quę cęteris pręstat, studijs, doctrina,
eloquentiaq; multos pręstantissimos esse fatear, talem
uero existere eloquentiā ac dicendi copiā, qualis est in
te ipso uiro sūma autoritate, consilioq; nō posse con-
firmo, qui nō in libellis, sed in maximis causis, et
in hoc domicilio imperij, et glorię sis consilio, linguaq;

princeps, ego vero (ut ingenue fatear) te in dicendo semper putavi deum, cum ingenij tui vim, ac dicendi facundiam maxime admirarer, quae tanta in te est, quanta in illo M. Catone summo oratore, et iuris civilis peritissimo, quare nihil in hac aetate tua iam ingravescenti maiori laude dignum afferri tibi poterat, quam te virum summa autoritate consilioque in hunc dignitatis gradum pervenisse, de hoc toto genere plura scriberem, si humanitas tua longiorem expectaret orationem, sed hoc unum sic habeto me tibi ad omnia, quae opus esse cognoscam, semper paratissimum fore, Da operam ut valeas, —

Jhs

Georgio Franceschinio

Rom. Luc. S.D.

Et si statueram literis meis tibi minime obstrepere, ne

me hoc uel inertia, sed ne illarum imbecillitate animum

tuum offenderem, tamen et amicitiæ nostræ vetustas,

et tua summa erga me beneuolentia, quæ iam à pueri-

tia tua mihi cognita est, me hortata est, vt aliquid

literarum mearum hoc tempore ad te darem, quibus

quanti te faciam semper, fecerim facile perspicere pos-

sis, nam cum te propter summum ingenium, suauissimos

mores, singularemque probitatem tantum dilexerim,

quantum tu ipse existimare potes, veri, singularisque

præceptoris partes esse iudicaui, vt non modo re,

sed etiam vultu, et uerbis summa erga te beneuo-

lentia, perpetuaque obseruatia tibi significarem,

et ideo hoc vnum à me sic habeas velim, omnia

mihi tecum intercedere iura summæ necessitu-

dinis, vt te nunc denique amore videar, antea

dilexisse, duæ enim causæ ad hanc familiaritatem

accessere, quæ firmiorem illam fecerunt, vna quod

in te sit virtus, fides, probitas, et prudentia,

deinde quod in eo verseris studio, quo maxime

delector, nam (vt inquit Cicero) quem vnum ciuitatis

tis Romanæ ingenio, et industria præstantissi-

mum omnes prædicant; similitudo studiorum

maxime contrahit amicitias, estq[ue] ea iucundissima amicitia, quã similitudo morũ coniunxit, cũ igitur te doctũ adolescentem, ac studijs optimis deditũ esse cognoscerem, atq[ue] ut satisfacias immortalitati laudum tuarũ te mirabiliter aspere, sic his studijs tuis te ad amandũ incensus sũ, ut te mihi neminem, nec amiciorem, nec cariorem habeã, quare quod reliquũ est, te nõ modo hortor, sed etiã rogo, ut pristinã tuã erga me beneuolentiã conserues, Vale

Georgi Aonidũ decus sororũ,
Cũ sis unanimis meus sodalis,
Et te plus venerer meis ocellis,
Feci hoc illepidũ tibi poema,
Ut me p[er]spicias sat esse letũ,
Quod te contuleris domũ ad penates,
Atq[ue] ad incolumes tuos parentes,
Te ipse conueniã meis tabellis
Et tristes animi leuabo curas,

Jhs

P. Luc. Georgio Francis. S.D.

Gratulatio tua etsi est mihi probatissima, quod ab optimo sit animo, tamen cohortatio, qua humanissimis, suauissimisque literis tuis usus fuisti, mihi multo iucundior gratiorque fuit, video n. quantu faueas gloriae meae, et quanta deniq affectus sis cupiditate, ut ad ipsius virtutis apicem peruenia, qua nihil est formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius, na ut ait Plato virtus est sanitas queda, et bona valetudo ipsius animae, quare omnis est adhibenda cura meditatio, et diligentia, ut no solu Judicio de me tuo, veru etia studio satisfacia, quamq ipsa res iam dudu animu meu inflamauerit, tamen no mediocre calcar addidit tua amica adhortatio, ne committa, ut cu omnia a parente meo suppeditata sint, ipse mihi defuisse videar, cura ut valeas,

Quale fluit docta Phebi testudine carmen,
aurea tale dedit Calliopea tibi,
Antimachi superas, et docti scripta Catulli
victa iacet muneris et mea musa tuis, —

Georgio et. iurisconsulto P. 2. S. D.

Cu optatissimu nuncium accepissem te doctoris titulo quàm honorificentissime ornatu fuisse, no possu no confiteri, me maximo affectu esse gaudio, quod tam amplissimu dignitatis gradu virtuti, scientieq; tue debitu sumo studio, magnoq; consensu adeptus sis, quodq; ex hac tua excellenti ac singulari scientia maxima nominis existimationem reportaueris, quid. n. est laudabilius, aut gloriosius, quã vnu hominem elaborare in ea scientia que sit multis profutura, pⁿsertim cu hec eadem plurimas gratias, firmissimas amicitias, maxima studia pariat, quid multa, que tibi multo notiora, atq; illustriora sunt, Itaq; capio magna uoluptatem, te, cuius amicitia mihi no solu ampla, sed etiã iucunda est, cu Iurisconsultu designatu esse, optimo ingenio, suma eloquentia, singulariq; ~~virtute~~ industria, tu ipsa fama, que de tua incredibili ~~virtute~~ ac peni Diuina virtute percrebuit, magna laudem consequi, cuius semp ero acerrimus pⁿdicator, teq; meherculo verissimis iustissimisq; laudibus ornado, nã etsi nulla

oratio virtuti tue par inveniri possit, tamen ita de laude tua dicam, ut neque vera laus tibi detracta oratione mea, neque falsa afficta esse videatur, quamobrem perge, ut agis, nomenque tuum immortalitati commenda, te tamen oro, atque obsecro, ut quibuscunque rebus opus fuerit, patrocinium nostrum suscipias, nosque tuearre, ut omnibus in rebus te mihi amicissimum fidelissimumque esse cognoscam, tue amore impulsus perscribenda ad te putavi, ut ardentissimi mei erga te amoris vincula apertius declararem, honorisque tui amplificationem hilaritatis mihi plurimum peperisse facile perspiceres, cura ut valeas, —

Pamphilus Lucas Peritissimo iurisconsulto Thomae F. S. D. -

Cum ad aures meas pervenerit te meum scribendi officium desiderare, quod tibi pro mea benevolentia inter singulari deesse minime debet, ne inertiae nomen mihi imponas, Humanitas tua officiis plurimis, et maximis mihi perspecta et cognita, me hortata est, ut hoc litterarum ad te darem, ut intelligeres me tui memoriam summa cum benevolentia tenere. Et ex omni iucundorum et amicorum meorum copia coniunctiorem mihi esse quam te necessitudine neminem, nam singularis virtus, qua omnes peritissimos iurisconsultos studiis, non mediocre vinculum attulit ad voluntates nostras copulandas, et ut te virum disciplina iuris civilis eruditissimum, ingenio, prudentiaque acutissimum, in dicendo eloquentissimum atque copiosissimum propter excellens tuum ingenium, magnamque diligentiam, ne te in optatis semper haberem, sed ad hoc vinculum quod per se grave est, accedunt tua plurima, et maxima in me officia, quo me tibi tantis [illegible] devinciunt, ut neminem habeam cui plus, quam tibi debeam nec ullum quem maiori benevolentia complectar, nam cum mihi princeps, et author ad suscipienda, et ad ingredienda iuris civilis scientia extiteris

studium mihi quidem tuum atque operam sine ulla
exceptione laboris aut occupationis semper fideliter benevoleque
praestitisti, et ideo ut intelligas te hominem amicis-
simo, et beneficiorum memori deditissimo officium
hoc sic habeto, me tibi memoriam, et benevo-
lentiam quam debeo praestare, curareque, ut omnes
cognoscant et amicum tantum amari, ut necessitu-
dine nostra nihil sit coniunctius, Vale.

Jhs

Pamphilus Juccus Federico
Luinisinio S. D.

Etsi patauium celebre urbem eruditissimis homi-
nibus, liberalissimis scientiis affluentem, maximo
desiderio profecturus sim, ubi me ad verissimilis
studium me referam, tamen non possum non confi-
teri me magno affici dolore, quod hinc discedens
careo fructu iucundissimae nostrae consuetudinis
nam cum satis multos diligam, atque obseruem, nemo
est illorum omnium mihi et in omni genere
dulcior, atque iucundior, nec in quo possim ma-
iorem leporem, ac festiuitatem agnoscere, una
mehercule ambulatiuncula, atque una collocutio
nostra pluris est, quam omnis patauij fructus
quid enim est dulcius, quam cum adolescentibus bonis
iucundis, amantibus mei viuere? Itaque quanta
delectatione voluptateque fruar longiori non
utar oratione, sed te tantum oro atque obtestor
ut huius pristinae nostrae familiaritatis memo-
riam nulla unquam deleat obliuio, nam si una esse
non valebimus, animorum saltem commoditione
fruemur, assiduaque cogitatione, alter alterum

eo nisi laudemur, Hec ab optimo animo, ac tibi
deditissimo perscripsi, ut quantum tibi tribuam
quo possem literarum genere declararem.
Fac ut optime valeas, meque mutuo diligas. —

Pamphilus Lucas Federico
Lunisirio. S.D.

Et si quid ad te scribendum non haberem, tum propter assiduas studiorum occupationes, (ne hoc arroganter dictum existimas) nullum scribendi argumentum mihi suppeterat, attamen ut ex literis tuis, quas proxime Roberto misisti, intellexi te magnopere meum scribendi officium requirere, statim nostrae necessitudinis esse, ratus in te familiaritatis has ad te literulas exarare, ut quae mea propensa, et extrema in te absentem fuisset, atque esset benevolentia non ignorares. Itaque Federice mi persuade tibi non amicum modo sed amicissimum te mihi esse, et te benevolentiorem quam sum esse non posse, tantum est enim inter nos familiaritatis vinculum, ut ad tuum amorem qui meus est in te, nihil accedere possit, nemo unquam profecto tanti quemquam fecit, aut facere potuit, quanti ego te, a me enim propter summum tuum ingenium, suavissimos mores, singularemque probitatem sic diligeris, ut parentibus tuis concedam potius nemini. Miro desiderio me tenet tui, et semper cogitatione te absentem complector, sed ut spero

propediem te videbo, tu interim cura ut ea inter nos simus benevolentia quã de te speravere, ut de me praestare possum, Vale, meq[ue] mutuo ama,

TETRASTICON

Pamphilus antiqua longe summotus in urbe
Tortis Meduacus quã rigat uber aquis
Optatã dulcis tibi mittit amico salutem
et te non immemori pectore semp[er] habet,